



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio IV. De Persona assumente, & natura assumpta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

in uno manet, & unus in utroque est, non diversitate divisus, non permixtione confusus, nec alter ex patre, alter ex matre; sed idem aliter ex Patre ante omne principium, aliter de matre in fine seculorum. Sed

Hic obiter pondera, 1. hæc verba: *Nec alter ex patre, alter ex matre*, quæ falsa sunt, si Christus est aliquid tertium ex Verbo & humanitate constitutum. Pondera 2. verba illa: *Sed idem aliter ex Patre ante omne principium, aliter de matre in fine seculorum*, ex quibus apparet, eundem esse terminum utriusque generationis, æternæ scilicet & temporalis. At si Christus non est Verbum humanitatem habens, sed tertium aliquid substantiale, constitutum ex Verbo, & humanitate, terminus generationis temporalis non est Verbum, sed aliquid tertium substantiale, ex Verbo, & humanitate constitutum.

Itaque juxta S. Leonem: *Nec alter ex patre, nec alter ex matre (est) sed idem aliter ex Patre, &c. aliter ex matre, &c.* Quia idem planè, nempe Verbum, est terminus utriusque generationis, sed alio & alio modo: nam per generationem æternam accipit primum esse, nempe esse Verbi, quo constituitur simpliciter, & in esse totius, adedque in esse personæ. Per generationem verò temporalem accipit esse aliquid secundarium, nempe esse hominis, quo constituitur secundum quid, seu in esse subsistentis in humana natura.

Obj. 6. Maxentium in libro adversus Acephalos, cap. 17. ubi ait: *Ex divinitate, & humanitate esse credimus (Christum) tamquam totum ex partibus: partes autem Christi divinitas ejus & humanitas sunt, in quibus & ex quibus per se est.* Ad hunc Maxentii locum, non explicandum, sed corrigendum. R. Id quod habet S. Thomas in 3. dist. 6. qu. 2. art. 3. ad 4. *Quamvis compositio quantum ad aliquid salvetur in incarnatione Verbi, nullo tamen modo est ibi ratio partis: divinitas enim pars esse non potest propter imperfectionem, quæ est de ratione partis. Humana autem natura non potest esse pars, quia compositum non habet, vel etiam quia non causat (formaliter scilicet) esse personæ, quæ dicitur composita.*

Obj. 7. S. Damascenus libro 3. de fide orthodoxa cap. 19. ubi hæc habet: *Nam & due natura unus Christus est, & unus Christus due natura.* R. dist. Unus Christus due naturæ, ambæ in recto, Neg. Una in recto, sed divina, & altera in obliquo, nempe humana, C. vel, si vis, dist. sic. Unus Christus due naturæ, constituentes aliquid tertium substantiale, quod sit Christus, N. Unus Christus due naturæ, quarum una, nempe divina, cum proprietate relativa filiationis constituit illum simpliciter, seu constituit illum in esse totius, & hypostasis; altera verò, quæ, illo in esse totius & hypostasis constituto, trahitur ad ejus totalitatem, eamque quasi modificat, & determinat ad esse hominis, C. Bonitas hujus responsionis patet ex lib. 3. de orthodoxa fide, cap. 7. ubi hæc leguntur verba: *Ita ut ipsa Dei Verbi hypostasis carni hypostasis extiterit.* Igitur ex Damasceno, persona Verbi est hypostasis humanitati assumptæ, adedque est totum aliquid, & integrum respectu humanitatis assumptæ, cujus proinde nec est, nec potest esse compars; unde cum ea nec constituit, nec constituere potest aliquid tertium substantiale.

Supereft igitur, ut juxta S. Doctorem, unus Christus sit due naturæ concurrentes in una persona, Verbi scilicet, & unus sit; quia in una persona concurrunt; quam personam component in ratione subsistenti, hoc ipso quod illam in duabus naturis subsistere faciunt per concursum suum.

Objicies denique rationem. Compositio absoluta, quæ est compositio hujus ex his, aliud non est, quam realis conjunctio extremorum, realiter distinctorum, ad constituendum unum per se simpliciter. Atqui in Christo habetur talis conjunctio, Ergo, &c. R. neg. min. Nam in Christo Verbum & humanitas non con-

junguntur ad constituendum unum per se simpliciter, hoc enim est impossibile; sed ut persona subsistens in natura divina, subsistat etiam in humana, & ita una & eadem persona sit Deus & homo.

At inquit 1. Ubicumque est compositio hujus ad hoc, est etiam compositio hujus ex his: sic v.g. non potest dari compositio albedinis ad parietem, quin exurgat aliquid tertium ex illis constitutum. R. neg. maj. universaliter sumptam, & ejus exemplum. Sed ad pleniori difficultatis solutionem.

Nota. Duplex distingui potest compositio hujus ad hoc. Prima est compositio partis ad partem; & ubicumque est talis compositio, est etiam compositio hujus ex his. Secunda est compositio alicujus totius ad aliquid, quod trahitur ad ipsum, & sit ipse, ut compositio subjecti ad accidentem, & suppositi ad naturam aliquam; & cum tali compositione numquam est compositio hujus ex his. At compositio hujus ad hoc, quæ reperitur in Christo, est compositio totius, seu suppositi divini ad naturam humanam, quæ trahitur ad ejus totalitatem, & sit natura illius. Ergo, &c.

At inquit 2. Omnis unio essentialiter ordinatur ad faciendum aliquid unum ex extremis: non unum simplicitate: ergo unum compositione. Ergo, &c. Resp. neg. antec. Nam unio accidentis cum subjecto non ordinatur ad faciendum unum ex subjecto & accidente, sed ad faciendum, ut accidentem sit suum subjecti, & subjectum per accidentem tali modo se habeat; sic pariter unio personæ Verbi cum humanitate non ordinatur ad faciendum aliquid unum simpliciter ex Verbo & humanitate, sed ad faciendum, ut humanitas sit sua personæ Verbi, & persona Verbi sit homo per humanitatem.

At inquit 3. Christus vel est unum per se, vel unum per accidentem. Non est unum per accidentem. Ergo est unum per se: ergo est aliquid tertium constitutum ex Verbo & humanitate. Resp. neg. secundam consequentiam. Nam Christus est unum per se: non quia est aliquid tertium, ex Verbo & humanitate constitutum, sed quia est suppositum divinum: nam omne suppositum est unum per se.

At inquit 4. Christus, quia Christus, est unum per se simpliciter: ergo quia Christus, est aliquid tertium constitutum ex extremis. Resp. neg. ant. Nam Christus, quia Christus, est suppositum divinum subsistens in humana natura, ac proinde non est unum per se simpliciter, sed unum per se cum addito, unum scilicet per se existens in natura sibi addita: sic album, quia album, non est unum per se simpliciter, sed unum per se cum addito, nempe suppositum tali modo se habens, unum per se modificatum. Christus igitur non est aliquid tertium substantiale, ex Verbo & humanitate constitutum, sed persona Verbi subsistens in humana natura: unde Christus dicit quidem Verbum & humanitatem, sed Verbum tamquam aliquid totum substantiale, & humanitatem tamquam aliquid, quod est in illo toto, & illius per unionem substantialem.

DISPUTATIO IV.

De persona assumente, & natura assumpta.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum sola persona Verbi assumpsit humanitatem?

RESPONSIO.

Sola persona Filii assumpsit humanitatem.

Prob. 1. Generaliter ex Scripturis, Symbolis, Conciliis, & Patribus: quoriscumque enim loquuntur de mysterio Incarnationis, de sola persona Filii dicunt, quod incarnata sit: hoc autem de sola persona

sona Filii dicendo, æquivalenter dicunt, solam fuisse incarnatam.

Prob. 2. In particulari ex Concilio Lateranensi sub Martino I. can. 2. quo dicitur: *Si quis secundum sanctos Patres non confitetur, propriè & secundum veritatem ipsum unum sanctæ & consubstantialis, & venerandæ Trinitatis Deum Verbum à celo descendisse, & incarnatum à Spiritu sancto, & Mariæ semper Virgine, & hominem factum condemnatus sit.* Et ex Toletano sexto, can. 1. in quo ait: *Ex his igitur tribus divinitatis personis solum Filium fatemur ad redemptionem humani generis à secrete Patris arcanoque prodidisse, & humanitatem sine peccato de sancta semper Virgine Mariæ assumpsisse solum Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: & cum tota cooperata sit trinitas formationem suscepti hominis (quoniam inseparabilia sunt opera trinitatis) solus tamen accepit hominem in singularitate personæ, non in unitate divina nature, in id quod est proprium Filii, non quod commune trinitatis.*

Prob. 3. Ex S. Fulgentio in libro de fide ad Petrum diaconum cap. 2. ubi hæc leguntur: *Secundum carnem Filium natum, catholica fides & credit, & predicat qui totum habet commune cum Patre, quod æternus naturaliter sine initio habuit: & nihil habet commune cum Patre eorum, quæ in suam personam temporaliter atque humiliter accepit de Virgine Rursus si non ille, qui proprius atque unigenitus Dei Patris Filius est, sed Spiritus sanctus nasceretur ex virgine, non ipsum, qui factus est ex muliere, factus sub lege, natum de Spiritu S. ex Mariæ Virgine corde ad iustitiam crederet, & ore ad salutem sancta Ecclesia confiteretur, &c.*

Prob. 4. Ratione: quia humanitas producta est dependenter à sola proprietate relativa Verbi, ut sustentante formaliter. Ergo humanitas incumbit soli Verbo ut supposito. Ergo humanitas est natura solius Verbi ut suppositi, adeoque à solo Verbo assumpta est, & non ab aliis personis divinis.

Obj. 1. Tam Pater & Spiritus S. produxerunt humanitatem dependenter à Verbo ut sustentativo formali, quam ipsum Verbum. Ergo tam assumpsit, quam Verbum ipsum assumpsit. R. neg. conf. Nam ex antecedente sequitur quidem quod Pater & Spiritus S. tam sint principium effectivum humanitatis, & ejus cum personalitate Verbi unitivum, quam ipsum Verbum: sed hoc non sufficit, ut tam Pater & Spiritus sanctus, quam Verbum ipsum, dicatur humanitatem assumpsisse. Ut enim persona dicatur assumere naturam aliquam, duo requiruntur. 1. Ut sit principium effectivum, & unitivum illius. 2. Ut sit illius sustentativum formale. Primum quidem commune est tribus personis divinis, secundum verò convenit soli Verbo: quare solum Verbum, non verò Pater, aut Spiritus sanctus, assumpsit humanitatem.

Obj. 2. Assumptio humanitatis est opus Dei ad extra. Sed opera Dei ad extra sunt communia tribus personis. Ergo, &c. *Resp.* Opera Dei ad extra tribus personis communia esse quantum ad efficientiam, non quantum ad formalem sustentationem; unde nego consequentiam.

Obj. 3. Quod convenit naturæ divinæ, convenit tribus personis. Sed natura divina incarnata est, ut Patres docent. Ergo, &c. *Resp.* Quod convenit naturæ divinæ ratione sui, convenit tribus personis. At incarnatam esse non convenit naturæ divinæ ratione sui, sed tantum ratione proprietatis relativæ Verbi, cui identificatur; nec Patres aliter eam incarnatam esse intelligunt. Itaque humanitas existit dependenter à proprietate relativa Verbi, ut sustentativo formali; & sic humanitas est natura Verbi; & sic Verbum est persona duarum naturarum, divinæ & humanæ, & sic duæ naturæ, divina & humana, sunt unum in personâ; & sic natura divina unita est humanæ in Verbo; & hac ratione, non alia, natura divina incarnata est.

Obj. 4. Non potest videri una persona à Beato sine aliis. Ergo nec potuit una persona sine aliis incarnari. *Resp.* Dato antecedente, non concesso (quidni enim visio posset esse præcisiva) neg. conf. Nam si una persona non potest videri sine aliis, non potest, quia natura divina non potest intuitivè cognosci, quin cognoscat adæquatè ut in se est, adeoque quin cognoscat cum personarum omnium divinarum proprietatibus relativis, à quibus terminatur, & quasi modificatur. At non est similis ratio pro incarnatione: cum enim proprietates relativæ personarum divinarum distinctæ sint, sunt sustentativa distincta: unde humanitas incumbere potest uni proprietati relativæ, non incumbendo aliis, & sic una persona, putà persona Verbi, sine aliis incarnari potuit.

ARTICULUS II.

Utrum persona Verbi assumpsit omnes partes naturæ humanæ.

Certum est, quod Verbum assumpsit corpus & animam, cum certum sit, quod humanitatem assumpsit. Sed difficultas est de quibusdam partibus corporis, nempe de sanguine, de dentibus, de unguibus, de capillis, &c. quæ quidem omnia fuisse in corpore Christi, dubium esse non potest: Verbum enim assumpsit corpus vivum, & integrum: unde extra controversiam est, quod ea omnia Verbum assumpsit saltem mediatè, sicut ab eo assumpta sunt accidentia omnia physica ejusdem corporis: nam Verbum assumendo humanitatem, illam fecit suam, & illam faciendo suam, ea mediante, fecit quoque sua, quæcumque illius sunt, sicque illa saltem mediatè assumpsit; quod planè sufficiens est ad hoc, ut verè ac propriè dicantur sanguis, dentes, ungues, &c. Verbi: quare absolutè fati fuit, quod mediatè seu mediantibus partibus essentialibus humanitatis, Verbum assumeret sanguinem, dentes, &c. Quaritur tamen utrum etiam immediatè assumpsit illa omnia, ea scilicet, per suam proprietatem relativam formaliter sustentando? Pro quo sit

RESPONSIO I.

Persona Verbi assumpsit immediatè sanguinem.

Prob. 1. Ex Scriptura & Patribus: eodem enim modo Verbo tribuunt sanguinem, quo carnem: nam Hebræorum, cap. 2. dicitur: *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse (Filius Dei) similiter participavit eisdem.* Et sanctus Cyrillus epist. 8. quæ est ad Nestorium, ubi ait: *Quod autem Verbum caro factum perhibetur, id aliud nihil est, quam quod perinde, ac nos carni & sanguini communicavit: suum ergo fecit nostrum corpus (assumendo carnem, & sanguinem.)*

Prob. 2. ratione. Verbum assumpsit immediatè humanitatem integram & perfectam. Ergo assumpsit immediatè partes omnes humanitatis. Atqui sanguis est pars ad integritatem humanitatis pertinens, ut patet ex communi hominum sensu, quo corpus non censetur integrum & perfectum sine sanguine; imò & ex Conc. Trid. sess. 13. cap. 3. ubi evidenter supponit, sanguinem esse partem humanitatis Christi, cum dicit: *Ipsam corpus (Christi esse) sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantia, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur.*

Confirm. Quia plurimum facit ad dignitatem & pretium sanguinis (idem dic de omnibus aliis partibus corporis Christi) quod Verbum immediatè illum assumpsit. Ergo reverà Verbum, dici debet immediatè assumpsisse sanguinem. Adde, assumpsisse immediatè totum sanguinem. Nam 1. dum Scriptura

re & Patres carnem & sanguinem ex aquo tribuunt Verbo, non distinguunt inter sanguinem & sanguinem. 2. Totus sanguis corporis Christi pars erat, pertinet ad integritatem naturæ humanæ, præsertim cum in Christo non esset sanguis superfluous.

Nec dic, Verbum immediatè assumpsisse sanguinem vitalem, non sanguinem alimentitium: nam omnis sanguis alimentitius est, seu nutritioni aptus, adeoque inutilis est hæc distinctio; quanquam, ea admitta, nihil efficereetur. Sanguis enim alimentitius tam pertineret ad integritatem naturæ, quam sanguis vitalis.

Obj. 1. Sanguis non est pars, est enim natura completa per se, & totum aliquod substantiale. Ergo, &c. *Resp. neg. antec.* & ejus probationem: sanguis enim, quandiu est in corpore, est aliquid incompletum per se; nam ex sanguine, corpore, & anima, tanquam ex tribus substantialiter incompletis, resultat principium aliquod adæquatum certarum operationum; quod est totum aliquod substantiale, unum per se, una natura completa, quam constituendo, sese mutuo complent substantialiter.

Dices. Sanguis non est animatus. Item sanguis non est pars corporis. Item sanguis non est unicus corpori; non enim est ei continuus, sed tantum contiguus. Item secundum Aristotelem, sanguis non est pars actus, sed solum potentia. Item sanguis est instrumentum animæ. Ergo sanguis non est pars.

Resp. Ad primum, non omnes partes, ad integritatem naturæ pertinentes, animatas esse. *Resp.* Ad secundum, sanguinem non esse partem corporis, at nihilominus esse partem humanitatis. Certè anima est humanitatis pars, quamvis non sit pars corporis. Ad tertium *Resp. neg.* Sanguis enim cum corpore & anima facit unum per se, unam naturam completam, ad quod non requiritur continuus sanguinis cum corpore, sed sufficit contiguitas. Ad quartum *Resp.* sanguinem non esse quidem partem corporis actus, sed potentia tantum, quatenus ex eo sunt partes corporis, cum in ossa, nervos, carnem, &c. per nutritionem convertitur: at, quod sufficit, etiam ante illius in partes corporis conversionem, est actu pars naturæ, ut probatum est. Ad quintum denique *Resp.* ipsum corpus esse instrumentum animæ, & tamen esse partem humanitatis; imò est pars humanitatis, quia est instrumentum animæ. Ergo similiter, &c.

Obj. 2. Si Verbum assumpsit immediatè sanguinem, Verbum est sanguis, seu sanguis verè prædicatur de Verbo. Absurdum consequens. Ergo, &c. *R. neg.* sequelam maj. Nam v. gr. Verbum assumpsit immediatè caput, manus, & animam, quæ tamen de Verbo prædicari non possunt: non enim dici potest: Verbum est caput, manus anima. Ratio pro illis omnibus est, quia partes se habent ad instar formarum. Forma autem in abstracto prædicari non potest subjecto, cui inest, proindeque partes in abstracto prædicari non possunt de eo, cui insunt. Quare de Verbo dici non potest, quod sit caput, manus, anima, sanguis; cum hæc nomina, caput, manus, &c. sint nomina abstracta. Solum igitur de eo dici potest, quod sit habens caput, manus, animam, sanguinem. Præterea, ad veritatem propositionis affirmativæ, ut infra fusiùs dicetur, requiritur, ut idem sit rectum subjecti & prædicati. At in his propositionibus, Verbum est sanguis, Verbum est caput, &c. non est idem rectum subjecti, & prædicati: rectum enim prædicati non est Verbum, quia hæc nomina, sanguis, caput, &c. supponunt tantum pro sanguine, capite, &c. non pro habente caput, sanguinem. Ergo, &c.

At inquit. Patres docent, corpus Christi assumptum fuisse à Verbo mediatè tantum: dicunt enim, corpus Christi assumptum fuisse à Verbo mediante anima. Ergo à fortiori sanguis mediatè tantum à Verbo assumptus fuit. *Resp. neg. antec.* *Ad prob. Resp.* Patres cum dicunt, corpus Christi assumptum fuisse mediante anima, nihil aliud velle, quam corpus Christi assumptum fuisse propter animam, ejusque fun-

ctiones, in eo exercendas ad satisfaciendum pro peccatis hominum, in quo etiam sensu sanguis à Verbo assumptus est, mediante anima.

Quæres obiter. Utrum totus sanguis in passione effusus, & postea in resurrectione resumendus in venas, toto triduo, quo Christi corpus fuit in sepulchro, unitus Verbo manserit?

Resp. Mansisse, sicut toto illo triduo corpus & anima, quamvis separata, unita Verbo remanserunt. Porro sanguis in passione effusus, in resurrectione resumtus est totus moraliter, seu quoad maximam partem; cum in corpore Christi non fuerit sanguis superfluous; non est tamen resumtus totus physicè, cum in linamentibus, clavis, & aliis instrumentis passionis remanserint maculæ sanguineæ, quæ maculæ non sunt nisi sanguis, qui tamen unicus non est amplius Verbo, cum non sit amplius in humanitate Christi, propter quam tantum, & non propter se, à Verbo assumptus fuerat.

RESPONSIO II.

Persona Verbi assumpsit etiam immediatè dentes, ungues, & capillos.

Prob. Nam Verbum immediatè assumpsit ea omnia, quæ pertinent ad integritatem naturæ humanæ. Atqui dentes, ungues, &c. ad naturæ humanæ integritatem pertinent, Ergo, &c.

At inquit. Si ita est, fuit quotidie nova unio ad Verbum, & nova separatio à Verbo: nam quotidie crescebant, & resolvebantur ungues, & capilli. *Resp.* Ita fuisse, sicut etiam fuit in quotidiana nutritione, & resolutione carnis, & aliarum partium animatarum, quas tamen à Verbo immediatè assumptas esse, nemo inficiatur.

Dices. At hoc repugnat communi axiomati: Quod semel assumpsit, nunquam dimisit. *Resp. neg.* Et dico sensum axiomatis esse, quod Verbum nunquam dimiserit animam & corpus, aliasque partes assumptas, sive physicè, sive moraliter tantum eadem permanserint.

Quæres 1. Utrum Verbum assumpsit etiam immediatè accidentia physica humanitatis?

R. Negativè. Nam accidentia humanitatis assumptæ, non à Verbo sustentantur formaliter, sed ab ipsa humanitate, cujus sunt, & quam informant: sunt tamen verè ac propriè accidentia Verbi, hoc ipso quod sunt accidentia humanitatis, quæ cum iis omnibus, quæ sua sunt, sua est Verbi.

Quæres 2. Quo ordine assumptæ fuerint à Verbo partes naturæ humanæ?

Resp. 1. Si agitur de ordine durationis, eodem plane instanti reali corpus Christi efformatum est, anima creata, atque insula corpori; & tam corpus quam anima simul Verbo unita sunt, sine ullo ordine prioris & posterioris. 2. Si agitur de ordine dignitatis, assumptio totius humanitatis dignior est assumptione singularum partium, rursusque assumptio animæ dignior est assumptione corporis.

3. Si agitur de ordine intentionis, priùs intenta est assumptio totius humanitatis, quam assumptio singularum partium; partes enim assumptæ sunt, ut assumeretur humanitas, non contra. 4. Si agitur de ordine executionis, priùs partes assumptæ sunt, quam assumeretur humanitas: humanitas enim assumpta est, quia partes ejus assumptæ sunt.

ARTICULUS III.

Utrum humanitas, à Verbo assumpta, existat existentia propria.

RESPONSIO.

Humanitas, à Verbo assumpta, existit existentia propria.

Est contra Thomistas, qui communiter docent, humanitatem Christi per unionem hypostaticam à Verbo

Verbo assumptam esse ad existendum existentia increata ipsius Verbi. Sed contra illos responsio nostra probatur. Quia 1. ad unionem hypostaticam necessæ non fuit, ut humanitas assumeretur ad existendum existentia Verbi; & sine tali assumptione explicatur & intelligitur unio hypostatica, ut patet dictis disputatione tertia. 2. Sententia adversariorum videtur aperte repugnare Conciliis & Patribus: unanimiter enim docent, Verbum assumpsisse perfectiones omnes, ad naturam pertinentes. Inter has autem perfectiones locum proculdubio tenet existentia, quæ est primus & maximè intimus, ac immediatus naturæ actus, adeoque prima, & maximè intima, ac immediata naturæ perfectio.

3. Res quælibet per se ipsam formaliter existit, & existentia non est nisi actus metaphysicus rei existentis, vel potius est tantum abstractum illius metaphysicum: ita ut non magis existentia & existens inter se distinguantur, quam humanitas v. g. & homo: unde sicut humanitas, & homo sunt omnino unum & idem, conceptum diversimodè, uno scilicet modo, ut abstractum, seu forma, & altero ut concretum, seu habens formam: ita existens & existentia, &c. Quare intolerabiliter supponunt adversarii humanitatem Christi realiter distinguere à propria existentia. Contra quod adhuc

Sic argumentor. 1. Si natura distinguitur realiter à sua existentia, natura se habet ad suam existentiam, ut potentia physica ad formam physicam, cui physice unitur, quando scilicet existit existentia propria. Ergo si natura realiter distinguitur à sua existentia, prius saltem natura existit, quam habeat suam existentiam. Unio enim physica nec est, nec potest esse, nisi inter extrema, prius saltem natura, quam uniantur, existentia. Ergo si natura realiter à sua existentia distinguitur, existit antequam habeat suam existentiam, adeoque existit, antequam existat, quod absurdum & ludicrum est.

2. Si natura ab existentia sua realiter distinguitur, natura habet se ad existentiam suam, ut potentia passiva ad formam physicam, quam physice sustentat, & physice sustentando facit suam, ab eaque informatur. Absurdum consequens. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam si natura habet se ad existentiam suam, ut potentia passiva ad formam quam, &c. natura existit independentem ab existentia sua: prius enim saltem natura subiectum existit, quam physice sustentet formam aliquam, & prius natura physice sustentat formam illam, quam ab illa informetur, proindeque subiectum prius saltem natura existit, quam informetur ab aliqua forma, & sic existit independentem ab illa. Porro dixi, quod in hypothesei distinctionis naturæ à sua existentia, natura habet se ad existentiam suam ut potentia passiva ad formam, quam physice sustentat: nam existentia distincta à natura, si datur, non est forma per se subsistens, sed forma inherens subiecto suo, adeoque forma à subiecto suo physice sustentata. Sed

Confirm. Responsio nostra, 1. hac ratione. Si humanitas Christi existit existentia Verbi, existentia Verbi actuat humanitatem Christi, & sic existentia Verbi est actus physicus humanitatis Christi; humanitas verò Christi potentia passiva existentia Verbi. Atqui manifestè repugnat, Dei existentiam esse actum physicum ullius potentia passivæ. Ergo, &c.

Confirm. 2. Auctoritate S. Thomæ, quem suum esse contendunt adversarii, & quem tamen nostrum esse, patet ex questione de unione Verbi Incarnati art. 4. in O. ubi expressè agnoscit in Christo duplex esse, seu existere, unum scilicet increatum, quod habet à natura divina, & alterum creatum, quod habet à natura humana. Item agnoscit in Christo duplex esse, nempe esse naturæ divinæ, quo Verbum simpliciter substantificatur, & idcirco est esse primum, seu principale in Christo, & esse naturæ humanæ, quo Verbum substantificatur tantum secundum quid: unde in Christo tantum est esse secundarium, & adventitium: *In Christo* (inquit S.

Doctor) *suppositum subsistens est persona Filii Dei, quæ simpliciter substantificatur per naturam divinam, non autem simpliciter substantificatur per naturam humanam, quia persona Filii Dei fuit ante humanitatem assumptam* Substantificatur autem suppositum æternum per naturam humanam, in quantum est hic homo quod esse (hominis) esse non sit esse accidentale, quia homo non predicatur accidentaliter de Filio Dei, non tamen est esse principale sui suppositi, sed secundarium.

Obijcies 1. Apud S. Thomam, solum esse simpliciter est esse substantiale. At juxta eundem, unum tantum est esse simpliciter in Christo, nempe esse Verbi. Ergo in Christo solum esse Verbi est esse substantiale, adeoque humanitas Christi non habet proprium esse substantiale, & ita, quod idem est, non existit existentia propria. *Resp.* Apud S. Thomam, solum esse simpliciter est esse substantiale, quod constituit rem per se subsistentem, hypostasim, suppositum; at juxta eundem, præter illud esse substantiale, quod in Christo rem per se subsistentem seu personam constituit, & consistit in esse naturæ divinæ, supple, ut terminatæ, & quasi modificatæ per proprietatem relativam filiationis; est etiam in eodem Christo aliud esse substantiale, quod non constituit novam rem per se subsistentem, sed rei per se subsistenti, & ab æterno existenti, nempe Verbo, additur per unionem substantialem, & sic additum integrat illud in aliqua ratione, in ratione scilicet rei per se subsistentis in duplici natura.

Obj. 2. Juxta eundem, humanitas, dum producitur unita Verbo, non acquirit, nec habet esse proprium. Ergo non existit existentia propria. *R. neg. conf.* Itaque S. Doctor dicit humanitatem, cum producitur unita Verbo, non acquirere, nec habere esse proprium, non quod credat eam, non propria, sed Verbi existentia existere; quem sensum S. Doctori asserendo, adversarii toto cælo ab ejus mente aberrant: sed quia eo ipso quod producitur unita Verbo, non est aliquid per se subsistens, sed aliquid per se subsistenti additum, & esse non acquiritur compositum substantiale, quod per se non subsistit, sed per se subsistenti, cui additur.

Bonitas hujus responsionis patet ex S. Doctore in 3. dist. 6. qu. 2. art. 1. ad 1. ubi ait: *Quando compositum ex materia & forma, est per se subsistens, acquiritur ex forma illi composito esse absolutum per se: quando autem non est per se subsistens, non acquiritur per formam esse illi composito, sed subsistenti, cui hoc adjungitur, acquiritur respectus secundum esse ad hoc, quod ei additur.* Doctrinam hanc illustrat exemplo: *Sicut, inquit, si ponamus hominem nasci sine manu; & manum per se separatim fieri, & postea ei miraculose conjungi, constat quod forma manus causabit esse manus per se subsistentis: sed postquam conjungitur homini, non acquiritur ex forma manus aliquod esse manus, quia (tunc) manus non habet esse proprium: sed acquiritur homini respectus ad manum secundum suum esse.*

Hoc manus exemplo clarè exponitur mens sancti Doctoris. Itaque cum producitur manus unita reliquo corpori, tunc esse proprium manus non acquiritur ipsi manui, quia tunc manus, quamvis se ipsa formaliter existat, non est res per se subsistens, sed pars rei per se subsistentis, nempe hominis, qui generatur, & cui proinde acquiritur esse proprium manus, cum ad ejus integritatem pertineat. Quod si homo generaretur sine manu, & manus separatim produceretur, tunc esse proprium manus acquiritur ipsi manui, quia tunc manus esset res per se subsistens, quando quidem esset substantia quadam per se rota & integra, quia à nullo alio ulterius completeretur substantialiter: unde manus, quandiu separatim existeret, haberet esse proprium manus. At si postea miraculose conjungeretur homini manus, tunc desineret habere esse proprium manus, & hoc esse acquireretur homini, cui conjungeretur, non quia tunc desineret se ipsa formaliter existere, sed

sed quia defineret esse res per se subsistens, & inciperet esse pars rei per se subsistens, nempe hominis, cui adderetur, & quem integraret.

Similiter, cum humanitas producit unita Verbo, esse proprium humanitatis non acquiritur ipsi humanitati, quia tunc humanitas, quamvis se ipsa formaliter existat, non est res per se subsistens, sed quasi pars rei per se subsistens, nempe personae Verbi, cui proinde acquiritur esse proprium humanitatis, quod ad ejus, ut in duplici natura subsistens, integritatem pertinet.

Quod si humanitas producta fuisset non unita Verbo, tunc esse proprium humanitatis acquisitum fuisset ipsi humanitati, quia tunc humanitas fuisset res per se subsistens; fuisset enim substantia per se tota & integra, utpotè à nullo alio ulterius substantialiter completa: unde humanitas illa tandiu habuisset esse proprium humanitatis, quandiu extitisset non unita Verbo. At si postea à Verbo assumpta fuisset hypostaticè, tunc desuisset habere esse proprium humanitatis, non quia desuisset per se ipsam formaliter existere, sed quia desuisset esse res per se subsistens, & coepisset esse quasi pars rei per se subsistens, nempe Verbi cui substantialiter addita fuisset, & quod in esse hominis integrare coepisset.

Porro si humanitas, quae producta est unita Verbo, nunc defineret esse unita Verbo, ab eoque relinqueretur, nunc ei acquireretur esse proprium humanitatis, non quod inciperet per se ipsam formaliter existere, sed quia inciperet esse per se subsistens; inciperet enim esse substantia per se tota & integra. Hoc disertis verbis asserit S. Doctor, quodlibet. 9. art. 3. in O. ubi sic ait: *Si ponatur humanitas à divinitate separari, tunc humanitas suum esse habebit aliud ab esse divino: non enim impediatur, quin proprium esse haberet, nisi hoc quod non erat per se subsistens.* Sed

Ad plenam mentis S. Thomae intelligentiam. Nota. Non omnia, quae revera existunt, quamvis se ipsis formaliter existant, apud S. Doctorem eodem modo habent esse: sed ex eis alia propriè habent, alia verò non. Illa propriè habent, quae habent ut quod; illa verò non habent propriè, sed impropiè tantum, quae tantum habent ut quo: unde apud S. Doctorem, solae res per se subsistentes, habent propriè esse, quia solae habent ut quod: reliqua verò, quae per se non subsistunt, impropiè tantum habent esse, quia illud habent ut quo tantum. Hinc juxta sanctum Doctorem, forma accidentaliter, puta albedo, non habet esse nisi impropiè, quandiu est in subiecto, quia tandiu non est id quod est, sed id quo subiectum est album. Item pars substantialis, puta manus, impropiè tantum habet esse manus, quandiu unita est corpori, quia tandiu non est id quod habet, sed id quo habetur, atque ad id, quo habetur esse manus.

Item natura, puta humanitas, propriè loquendo non habet esse humanitatis, sed tantum est id quo illud esse habetur ab eo, cujus est humanitas, hoc est, à persona, quae subsistit in humanitate: *Esse*, inquit sanctus Doctor hic quaest. 17. art. 2. in O. *pertinet & ad naturam, & ad hypostasim: ad hypostasim quidem, sicut ad id quod habet esse..... ad naturam autem sicut ad id quo aliquid habet esse.* Itaque juxta S. Doctorem, humanitas Christi propriè non habet esse, quandiu manet unita Verbo, quia tandiu non est res per se subsistens, & ita tandiu non est id, quod habet, sed id quo habetur esse humanitatis à Verbo, quod in Christo solum est res per se subsistens, adeoque solum est id quod habet, quidquid est in Christo.

Obj. 3. Idem S. Thomas hic qu. 17. art. 2. in O. dicit & probat, quod in Christo unum tantum sit esse, nempe divinum & increatum. *Resp.* S. Doctorem loco laudato solum dicere & probare, quod in Christo unum tantum sit esse personale, quod fuit ab aeterno, & per unionem substantialem humanitatis cum Verbo non advenire in rerum natura no-

vum esse personale, sed solum fieri, ut esse personale, quod jam erat, habeat novam habitudinem ad naturam humanam, in quantum fit ut esse personale, quod erat solius naturae divinae, jam sit etiam humana: *Sic igitur*, inquit, *cum humana natura conjungatur Filio Dei hypostaticè, vel personaliter, & non accidentaliter, consequens est, quod secundum humanam naturam non adveniat sibi novum esse personale, sed solum nova habitudo esse personalis praexistens ad naturam humanam, ut scilicet persona illa jam dicatur subsistere non solum secundum divinam naturam, sed etiam secundum humanam.*

Juxta S. Doctorem igitur, novum quidem esse, nempe hominis, advenit Verbo in incarnatione, sed illud novum esse hominis non fuit esse personale, distinctum ab esse personali Verbi: quia illud esse hominis advenit Verbo per conjunctionem hypostaticam, & substantialem humanae naturae cum ipso; & haec conjunctio impeditur, ne humana natura esset persona, impediendo, ne esset substantia per se tota, adeoque ne esset res per se subsistens. Quod si natura humana in incarnatione accidentaliter tantum, ut volebat Nestorius, Verbo conjuncta fuisset, praeter esse personale Verbi, quod fuit ab aeterno, advenisset novum esse personale, quia conjunctio illa accidentaliter tantum, non impeditur, ne humana natura esset persona, quia non impeditur, ne esset substantia per se tota & integra, adeoque ne esset res per se subsistens: unde tunc in Christo tam fuissent duo supposita distincta, nempe suppositum Verbi, & suppositum hominis puri, quam duo sunt supposita in Socrate vestito, nempe suppositum Socratis, & suppositum vestis, quae quia Socrati non substantialiter, sed accidentaliter tantum conjungitur, ex eo quod Socratem vestiatur, nec amittit, nec amittere potest suam suppositaliteratem.

At inquit, S. Thomas, quodlibet 9. art. 3. in O. expresse asserit, & probat, quod in Christo unum tantum sit esse substantiale. *Resp.* Dicit quidem sanctus Thomas & probat, quod in Christo unum tantum sit esse substantiale: ut unitatem hanc non repetit ex eo, quod una sit existentia, nempe divina, eorum omnium, quae in Christo substantialia sunt; sed ex eo, quod in Christo unum tantum sit suppositum, ad cujus constitutionem, vel integritatem, pertinent ea omnia, quae in Christo sunt substantialia. Verba sancti Doctoris sunt: *Quia ergo in Christo ponimus unam rem subsistentem tantum, ad cujus integritatem concurrunt etiam humanitas, quia unum suppositum est utriusque naturae, ideo oportet dicere, quod esse substantiale, quod propriè attribuitur supposito in Christo, est unum tantum: habet autem ex ipso supposito, & non ex naturis.*

Itaque juxta S. Thomam, ubi unicum est suppositum, ibi unicum est esse substantiale; quia quidquid ibi substantiale est, vel constituit; vel saltem integrat suppositum illud: unde omnia substantialia, quae ibi sunt, in unum esse substantiale concurrunt propter unitatem suppositi. Quia ergo in Christo unicum est suppositum, nempe Verbum, unicum est esse substantiale, quamvis in Christo sint duae naturae, divina & humana. Sic quia in Socrate v. gr. unicum est suppositum, unicum est in eo esse substantiale, quamvis in eo sint plures partes substantiales. Sicut igitur in Socrate v. gr. unum est esse substantiale, quia partes substantiales, ex quibus Socrates constat, concurrunt in unum suppositum, aliae constituendo, & aliae integrando; ita in Christo unum est esse substantiale, quia in Christo duae naturae concurrunt in unum suppositum, una, nempe divina, simpliciter constituendo illud, & altera, nempe humana, illud simpliciter constitutum integrando in esse hominis, vel, si vis, extendendo ad esse hominis.

Obj. 4. Humanitas non potest uniri substantialiter Verbo, nisi trahatur ad ejus esse personale. Sed humanitas non potest trahi ad esse personale Verbi, nisi existendo ipsius existentia. Ergo, &c. *Resp.* neg. min.

min. Et dico humanitatem trahi ad esse personale Verbi, eo ipso quod fit verè ac propriè Verbi natura: at eo ipso verè ac propriè fit Verbi natura, quod producit ab eo ut formali sustentativo: sicut accidens verè ac propriè fit subjecti accidens, hoc ipso, quod dependenter à subjecto ut formali sustentativo, producit.

Præterea, quidquid sit de hac Scoti sententia, secundum quam hic respondemus, humanitas ad esse personale Verbi trahi non potest, nisi per physicam sui cum illo unionem, adeoque nisi propria existentia existat: omnis enim physica unio nec est, nec potest esse, nisi inter extrema physica, ac physicè distincta, & quorum proinde utrumque suam habeat existentiam, ab alterius existentia distinctam.

At inquit, Si humanitas Christi existit existentia propria, actio generativa Virginis terminatur ad eam, non ad Verbum. Resp. Actionem generativam Virginis terminari ad humanitatem, & existentiam ejus propriam, ut ad terminum immediatum, & proximum; ad Verbum verò, ut ad terminum mediatum & ultimum.



DISPUTATIO V.

De communicatione Idiomatum.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum detur communicatio idiomatum in sensu Catholicorum.

Nota 1. Nomen aliud est abstractum, aliud concretum. Abstractum est illud, quod tantum significat formam, vel quasi formam, ut albedo, divinitas, humanitas, &c. Concretum verò, quod significat non solum formam, vel quasi formam, sed etiam id, quod formam, vel quasi formam habet, ut album, Deus, homo. Porro nomen abstractum significat formam, vel quasi formam secundum se: sic v. gr. cum dicitur: Divinitas est incarnata, sensus propositionis est, propriè ac strictè loquendo: Divinitas secundum se est incarnata: unde hæc propositio in rigore vera non est.

Nomen concretum non eodem modo formam, & id quod habet formam, significat; nam significat formam expressè quidem, sed obliquè; confusè verò, sed directè; seu in recto id, quod formam habet, & pro eo supponit in propositione; nisi tamen, quod aliquando accidit, ad formale & expressum significatum determinetur suppositio: sic v. gr. album significat expressè, sed in obliquo albedinem; confusè verò, sed in recto id, quod habet albedinem: album enim idem est, ac habens albedinem; & cum dico verbi gr. Paries est albus, to albus supponit pro eo, quod habet albedinem. Sensus enim propositionis est: Paries est habens albedinem. Dixi autem, nisi ad formale, &c. quia nomen concretum quandoque supponit pro forma, vel quasi forma, quam significat, ut cum dicitur: Homo est species, album est accidens.

Nota 2. Ad veritatem propositionis affirmativæ, cujus subjectum & prædicatum sunt termini concreti, satis est, quod rectum subjecti sit etiam rectum prædicati, atque adeo quod subjectum & prædicatum supponant pro eodem recto. Sic vera est hæc propositio, facta de lacte: Album est dulce, quia idem est rectum utriusque termini, & uterque terminus supponit pro eodem recto: & verò perinde est ac si diceretur: Habens albedinem, est habens dulcedinem, quod sanè verum est, cum idem, nempe lac, sit habens utramque formam.

Nota 3. Nomina concreta naturarum, & illarum attributorum, habent pro recto suppositum aliquod: nam suppositi est habere naturam, & ejus attributa:

unde nomina concreta naturarum, & illarum attributorum, pro supposito aliquo supponunt in propositione, quoties suppositio terminorum non determinatur ad significatum formale & expressum. Hæc itaque nomina concreta, Deus, homo, mortalis, immortalis, &c. habent pro recto suppositum aliquod, & pro eo supponunt in propositione, quoties ad formale, & expressum significatum non determinatur suppositio, vel, si vis, quod idem est, quoties in propositione non ponitur terminus concretus pro abstracto. Hinc

Ad veritatem propositionis affirmativæ, constantis terminis, quæ sunt nomina concreta, satis est, quod subjectum & prædicatum significant idem suppositum, ac pro eo supponant; sive uterque terminus sit nomen naturæ, aut attributi naturæ, vel personæ, sive unus sit nomen naturæ, & alter attributi naturæ, aut unus sit nomen personæ, & alter naturæ, vel attributi naturæ, vel à fortiori attributi personæ: nam in illis omnibus casibus idem erit rectum subjecti & prædicati propositionis, quod ad ejus veritatem sufficit ex notabili. 2. In his itaque propositionibus: Deus est homo, mortalis est immortalis, genitus ab æterno est genitus in tempore, homo est immortalis, Verbum est homo, Verbum est mortale, Verbum est genitum in tempore; ad veritatem requiritur & sufficit, ut subjectum & prædicatum idem suppositum significant, & pro eo supponant.

Nota 4. Quando unum, & idem suppositum duas habet naturas. 1. De hoc supposito duæ illæ naturæ, & vicissim de duabus illis naturis hoc suppositum; 2. De hoc supposito proprietates naturarum illarum, & vicissim de naturis illis proprietates hujus suppositi; 3. Illæ naturæ de se invicem; 4. De una natura alterius naturæ proprietates, & vicissim de proprietatibus unius naturæ altera natura; 5. Proprietates naturarum illarum, & ipsius suppositi de se invicem verè prædicantur per nomina concreta. Ratio universalis est, quia in omnibus illis prædicationibus rectum subjecti & prædicati primum est suppositum aliquod ex notabili tertio. Secundo, est unum & idem suppositum; quia in hypothesi facta unum & idem suppositum habet duas naturas, atque ita, unum & idem est rectum subjecti & prædicati in omnibus illis prædicationibus; quod ad propositionis affirmativæ veritatem sufficit ex notabili secundo. Hinc

Nota 5. Cum in Christo sit unum & idem suppositum habens duas naturas, circa ipsum sextuplex prædicandi genus distingui potest. Primus est, quo duæ naturæ de supposito, & suppositum de duabus naturis; secundus, quo proprietates naturarum de supposito, & proprietates suppositi de naturis; tertius, quo natura divina de humana, & humana natura de divina; quartus, quo proprietates naturæ divinæ de natura humana, & proprietates naturæ humanæ de natura divina; quintus, quo proprietates naturæ divinæ de proprietatibus naturæ humanæ, & proprietates naturæ humanæ de proprietatibus naturæ divinæ; sextus denique, quo proprietates duarum naturarum de proprietatibus suppositi, & proprietates suppositi de proprietatibus duarum naturarum verè prædicantur in concreto. Ratio communis pro omnibus his prædicationibus est, quia in omnibus subjectum & prædicatum unum & idem rectum habent; cum significant in recto unum & idem suppositum, pro quo supponunt.

Nota 6. Hæc nomina concreta personalia, Verbum, Filius Dei, Christus, Jesus, unum & idem suppositum significant, nempe suppositum Verbi, & pro eo supponunt in propositione: cum hoc tamen discrimine, quod, ut observat S. Thomas hic qu. 16. art. 5. in O. Christus dat intelligere utramque naturam divinam & humanam, in quibus suppositum illud subsistit, Jesus solam humanam, cætera verò nomina solam divinam: Christus enim idem sonat, ac suppositum subsistens in natura divina & humana; Jesus idem, ac suppositum hoc subsistens in natura humana; Verbum, & Filius Dei idem ac suppositum